

maxime auctoritate Theologorum; nunquam enim veritatem hanc in dubitationem adduxerunt, sed tanquam dogma certum illud tradunt vel supponunt, et ex illo sæpe argumentantur ab inconvenienti, inferendo falsum esse quicquid illi dogmati videtur esse contrarium, et ita illud semper supponunt, tanquam in Theologia certissimum. Hæc autem tanta consensus non potuit aliunde oriri, quam ex eo quod veritatem illam, tanquam Catholicam, et Pelagiano errori contrariam, susceperunt. Cujus etiam signum est, quia ad confirmandam illam testimonia Pauli inducunt, ita nimirum illa intelligentes; non potest autem sine audacia nimia cogitari, Theologos ex carentia cognitionis erroris Pelagii, et ex mala intelligentia Scripturarum et Conciliorum in eam sententiam cum tanta certitudine conspirasse. Dico ergo assertionem esse Catholicam veritatem, et ex eis quæ secundum certitudinis gradum in Theologia habent, licet aperte de fide non sit.

13. *Probatum jam dicta assertio ex Paulo, addito Tridentino Concilio.* — Probatum ergo primo ex Paulo, ad Roman. 3, dicente hominem justificari gratis per fidem, addita declaratione Concilii Tridentini, sess. 6, cap. 8, dicentis: *Gratis justificari a Deo dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* In quo loco Concilium de justificatione formali, quæ fit per infusionem gratiæ habitualis, loquitur, ut supra l. 7, c. 14, in posteriori ejus parte diximus. Ubi ex illo textu probavimus hominem non satisfacere ad æqualitatem, seu de condigno per contritionem pro culpa mortalis peccati. Et ita intellexerunt verba illa Bellarminus et Vega supra. Qui consequenter recte dicunt Concilium loqui de merito simpliciter, quod est meritum de condigno, et de fide ac operibus etiam ex auxilio gratiæ factis, sive tempore, sive tantum natura infusionem gratiæ antecedant, et hinc consequenter habetur illam particulam, *gratis*, non tantum excludere meritum quocumque operum naturalium, sed etiam meritum justitiæ, seu de condigno operum supernaturalium, respectu primæ justificationis a peccato mortali quoad infusionem primæ gratiæ sanctificantis. Quod consequenter confirmat Concilium ex aliis verbis Pauli: *Nam si est gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia*, ad Rom. 11.

14. *Paulus opera etiam supernaturalia ab*

homine nondum grato facta excludit in citatis verbis. — Unde non videtur universaliter verum, quoties Paulus tradit gratiam non esse ex operibus, solum excludere opera ex solo libero arbitrio sine gratia facta. Nam, licet hæc a fortiori et principaliter excludat, tamen quando vult omnino distinguere opus gratiæ a propria retributione justitiæ, etiam excludit opera omnia, quæ fiunt ab homine nondum grato. Et ideo distinguenda sunt testimonia, et attente consideranda est materia, et occasio, modusque locutionis, ut juxta exigentiam illius vera interpretatio tribuatur. In loco ergo citato, Roman. 11: *Sic ergo et in hoc tempore secundum electionem gratiæ reliquæ factæ sunt; si autem gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia*, omnia opera Paulus excludit; nam electio gratiæ, ut Paulus loquitur, nec ex operibus naturæ, nec ex operibus gratiæ esse potest, cum sit fons totius gratiæ; ergo cum Paulus dicit: *Non ex operibus*, omnia opera excludit. Sicut etiam 2 ad Tim. 1 cum ait Paulus: *Vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam*, aperte excludit opera solius liberi arbitrii, nam ante vocationem Dei alia intelligi non possunt. Item ad Tit. 3, cum ait: *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, etc., per opera justitiæ non intelligit tantum opera justitiæ humanæ, et liberi arbitrii suis viribus operantis, sed simpliciter omnia opera justitiæ quocumque auxilio facta, quia per nulla omnino opera nos mereri potuimus donum redemptionis vel regenerationis, de quibus Paulus loquitur. At vero ad Ephes. 2, cum ait: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis gloriatur*, specialiter excludit opera antecedentia fidem, ac proinde illa opera excludit, quæ ex naturali libertate et ratione procedunt; unde singulariter ait: *Et hoc non ex vobis*, id est, non vestris viribus, quia fides donum Dei est, et ideo non ex operibus, utique antecedentibus fidem, et sine speciali Dei dono factis.

15. *Neque in dispositione proxima agnoscit Paulus meritum simpliciter respectu gratiæ proxime sanctificantis.* — Quocirca, licet negari non possit Paulum, in epist. ad Roman., præcipue intendere contra Judæos, justificationem nostram non in lege, neque in operibus ejus, aut liberi arbitrii suis vi-

ribus operantis, et custodientis legem, sed in fide Christi fundatam esse, et ideo ex gratia Dei, ac donum Dei esse, nihilominus simul etiam docet ipsamet formalem justificationem, quæ nobis per gratiam datur, gratis simpliciter dari, non tantum remote et radicaliter, ratione sui initii gratuiti, sed etiam in se, et immediate, prout per fidem vivam illam impetramus, quia etiam ex suppositione talis fidei et dispositionis, nunquam datur ut debita simpliciter, neque ut merces, seu corona justitiæ, sed ut magna Dei misericordia. Et hic est sensus Pauli ad Roman. 3, ubi cum dixisset: *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum*, subdit: *Justificati gratis per gratiam ipsius*, id est, per infusionem gratiæ suæ, quæ dicitur justitia Dei, non qua ipse justus est (ut ait Augustinus de Spirit. et litter., c. 9), sed quam nobis ipse infundit, et per quam nos justificat, id est, justos facit gratis, quia, licet per fidem illam obtineamus, nihilominus gratis nobis infunditur, non solum quia fides gratis nobis data est, sed quia in se novum donum gratuitum est, id est, non ex debito justitiæ, ac proinde nec ex merito de condigno datum, ut recte et conformiter ad Concilium Tridentinum exposuit ibi Toletus, annot. 20.

16. *Id confirmatur ex eodem Paulo.* — Et hunc sensum confirmat discursus ejusdem Pauli statim in c. 4, ubi adducens verba illa Genes. 15: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*, maxime ponderat (ut supra vidimus) verbum *reputatum est*, ut inde colligat non ita fuisse Abraham per fidem justificatum, ut justitia fuerit data ex debito, et tanquam merces fidei; nam *merces* (ait) *non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*; fides autem reputata est Abraham ad justitiam, secundum propositum gratiæ Dei. Atque hoc modo distinguit credentem ab operante, quia, licet ipsum credere sit etiam opus hominis, nihilominus fides, ad justitiam et remissionem peccatorum obtinendam, non consideratur ut opus hominis, nec ut meritum, sed reputatur ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei, volentis illam fidem et gratiam acceptare ut sufficientem dispositionem ad justitiam, etiamsi ipsa fides cum aliis dispositionibus non faciat debitam gratiam ipsam et remissionem peccati, tanquam mercedem justitiæ. Et in eodem sensu expendit statim Paulus verba Ps. 31: *Beati quorum remissa sunt*

iniquitates, et quorum tecta sunt peccata, et: Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, ut in libr. 7, c. 10, satis declaravimus. Denique illa duo, nimirum, quod habitualis gratia, et in radice fidei et aliarum dispositionum quæ necessariae sunt et per fidem exhibentur, et in se etiam gratis detur, et utroque modo veram rationem gratiæ habeat, inter se non repugnant, ut est per se notum, et utrumque est consentaneum verbis Pauli, et simul juncta magis commendant gratiæ Dei abundantiam, et necessitatem redemptionis Christi, quia non solum fuit necessaria ut nobis fides et poenitentia daretur, sed etiam ut credentibus et poenitentibus gratia sanctificans et excludens peccatum infunderetur; ergo non est ab hoc vero sensu Pauli recedendum.

17. *Scripturis aliis roboratur.* — Accedit quod huic sensui ac veritati aliæ Scripturæ promissiones et testimonia consonant. Unum est illud Isai. 55: *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, emite, et comedite, venite, et emite absque argento, et absque ulla commutatione, vinum et lac.* Ubi Propheta non vocat infideles ut credant, sed, ut Hieronymus ibidem ait: *Vocat credentes ut bibant aquam illam, de qua dixit Christus, Joan. 4: Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam; et c. 7: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui biberit de aqua, quam ego dederò ei, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Significans (ait Hieronymus) *Spiritum Sanctum, quem accepturi erant credentes*, id est, sanctificantem gratiam, ut in eisdem locis cæteri omnes exponunt; ergo, juxta intentionem Prophetæ, etiam credentes non possunt condigno pretio emere, nec aliquid æquivalens pro illius commutatione offerre valent; vocantur ergo ut gratis illam accipiant. Unde subdit ibidem Hieronymus: *Nec timeant paupertatem, si argentum forte non habeant, sed audiant Apostolum dicentem: Gratia estis salvati per fidem*, ad Ephes. secundo. Et in eodem sensu optime intelligi etiam potest illud Apocalypsis 22: *Qui sitit, veniat; et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Hoc enim proprie de gratia ipsa dicitur, et non de gloria, nisi ratione gratiæ sanctificantis, ut infra dicemus.

18. *Secundo probatur a quibusdam assertio ex Conciliis.* — Non tamen in citato loco

Arausicani traditur. — Secundo, potest hæc veritas ex Conciliis et Patribus confirmari. Et quidem Medina supra refert Concilium Milevitano et Arausicauum, dicens in illis esse veritatem hanc definitam. At vero in Milevitano nullum verbum de hac re invenitur. In Arausicano vero solum ad rem præsentem aliquid facere potest canon. 18, qui sic habet: *Debetur bonis operibus merces, si fiant; sed gratia præcedit, ut fiant.* Ibi autem non explicat Concilium de qua gratia nec de quo merito loquitur. Et certe in omnibus præcedentibus canonibus, in quibus de necessitate gratiæ ad bene operandum tractat, non de habituali gratia, sed actuali, id est, de divina inspiratione, illuminatione et adjutorio locutum fuerat, præcipueque intendit contra Semipelagianos excludere omne meritum, sive de condigno, sive de congruo, respectu totius gratiæ, seu initii justificationis, et ideo ex illo canone solum est certum gratiam Dei aliquam præcedere ad omne meritum, ac subinde gratiam absolute non posse cadere sub meritum quod absolute gratiam etiam præcedat. Et quamvis ille canon possit cum partitione accommoda intelligi, ad significandum gratiam auxiliantem præcedere meritum de congruo, gratiam vero habitualement præcedere meritum de condigno, et distinctio sit optima, sanamque et catholicam doctrinam contineat, nihilominus dicimus ibi non esse traditam distinctionem, et ideo neque membra ejus, præsertim secundum, ibi esse definita.

19. *Neque in loco c. 25.* — *Utrumque tamen inde sumitur ratio.* — Allegari etiam solet quod in c. 25 idem Concilium dicit: *Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus.* Nam tunc amamur a Deo, quando nobis charitatem et gratiam sanctificantem infundit, ut statim significat, dicens: *Diffundit enim charitatem in cordibus nostris;* ergo ante illam non habet homo unde placeat, nedum de condigno mereri. Sed hæc in eodem sensu dicta sunt; nam etiam dicimur amari a Deo, quando in peccato existentes ab ipso vocamur, illuminamur et inspiramur, nam ratione illius gratiæ verum est illud: *Quis prior dedit ei, et retribuetur ei?* et illud: *Non quasi nos dilexerimus prius, sed quia prior ipse dilexit nos.* Potest tamen inde sumi congrua ratio, quia ille amor Dei est quasi inchoatus, consummatur autem in sanctificatione et infusione justitiæ; ideo prior Dei amor non sufficit ut fiat in nobis unde illi condigne et

perfecte placeamus, sed ad summum imperfecte et secundum quid.

20. *Locus Tridentini suadet, sed non certo.* — Allegant præterea auctores nonnulli c. 5, et canon. 1 et 2, sess. 5 Concilii Tridentini. Sed ibi Concilium loquitur contra Semipelagianos, et necessitatem gratiæ ad omnem operationem seu meritoriam quomodocumque et ad exordium justificationis tradit. Unde vel loquitur de actuali gratia, vel indifferenter de gratia, quæcumque illa sit. Solum ergo doctrina ejusdem Concilii, in cap. 8, maxime ad rem præsentem facit, prout a nobis in l. 7, cap. 14, ponderata et intellecta est. Tamen quia illa expositio non est certa, ideo dicere quidem possumus theologice optime probari assertionem illo testimonio, non tamen ad certitudinem fidei, imo neque ad absolutam certitudinem theologicam solum illud testimonium sufficere, licet cum aliis circumstantiis multum conferat. Nam docet Concilium particulam illam *gratis*, ita semper in Ecclesia fuisse intellectam; at traditio et consensus omnium Theologorum ostendit hunc fuisse semper Ecclesiæ sensum, quod particula *gratis* excludat meritum de condigno, respectu formalis justificationis et remissionis peccati; ergo hoc etiam voluit docere Concilium. Et juvat quod idem Concilium, infra, cap. 16, et can. 32, agens de merito de condigno, solum homini justificato, et Christo ut vivum membrum unito illud tribuit. Et ideo solum docet mereri de condigno augmentum gratiæ, cum tamen de merito gloriæ aliter loquatur, ut infra expendemus.

21. *Nec recte assertur probatio ex Augustino in epist. 105.* — *Vide de Grat. et lib. arbitr., cap. 20 et 21.* — Inducuntur præterea innumera Augustini testimonia, quæ nimis tumultuarie allegantur, quia sine dubio frequentissime loquitur de prima gratia auxiliante, et excludit omne meritum ejus, sive perfectum, sive imperfectum. Unde consequenter loquitur de merito fundato in quocumque opere, quod ex vero auxilio gratiæ non procedat. Ac denique quando in hoc sensu negat posse hominem mereri suam justificationem, non loquitur de solo termino (ut sic dicam) justificationis, sed de tota mutatione ab initio vocationis ad fidem et pœnitentiam usque ad remissionem peccatorum, cujus signum manifestum est, quia quando in ipsa justificatione distinguit inter initium ejus et terminum, id est, inter fidem cum ejus initio, et remissionem peccatorum, fatetur remissionem pecca-

torum cadere sub aliquo merito, quamvis diserte non explicet, quale illud sit. Hic sensus Augustini manifestus est ex epist. 105, ubi, cum prius neget posse hominem mereri suam justificationem, postea concedit posse hominem per fidem mereri remissionem peccatorum, et addit hoc non obstare quominus remissio peccatorum gratis fiat, quia illud meritum gratia præcessit, ut fieret; verba ejus non longe a principio illius epistolæ sunt: *Nulla igitur sunt merita justorum? Sunt plane, quia justus sunt. Sed ut justus fierent, merita non fuerunt. Justus enim facti sunt, cum justificati sunt; sed sicut dicit Apostolus, justificati gratis per gratiam ipsius;* et infra loquens de gratia, quam Apostolus commendat, inquit: *Ea est enim qua justificatur impius, id est, fit justus, qui prius fuerat impius, et ideo percipiendæ hujus gratiæ merita nulla præcedunt.* Ecce ubi gratiæ sanctificantis omnia merita excludere videtur. At statim paulo post subdit: *Possunt quidem dicere remissionem peccatorum esse gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim boni meriti habere possunt peccatores? Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori, et descendit justificatus merito fidelis humilitatis.* Unde ad conciliandam hanc posteriorem sententiam cum priori, subjungit: *Restat igitur ut ipsam fidem non humano tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque merita, sed gratuitum donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus.* Ex quo discursu constat, cum Augustinus dicit non esse meritum ante justificationem, loqui de tota justificatione, etiam inchoata; respectu vero justificationis quoad terminum ejus, scilicet, remissionem peccatorum, quæ per primam gratiam habitualement fit, admittere meritum, fundatum tamen in priori gratia inchoante justificationem, quod satis esse credit, ut ipsa etiam peccatorum remissio gratis dari dicatur. Et eodem modo paulo post subdit, in oratione, qua impetratur remissio peccatorum, esse aliquod meritum, sed illud etiam esse ex priori gratia Spiritus Sancti; et infra: *Quod est meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne meritum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia?* Et, quod difficilium est, eodem modo statim loquitur de vita æterna, dicens dari ex meritis, et nihilo-

minus ait gratiam vocari, ad Rom. 6, ac subinde gratis dari, quia ipsa merita, propter quæ datur, sunt ex gratia. Ita ergo censere videtur de remissione peccatorum; unde paulo inferius, quid sub gratia justificationis, quæ ante omne meritum datur, intelligat, sic exponit: *Nec quisquam liberatur ac justificatur, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum non solum remissione peccatorum, sed prius inspiratione fidei ac timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu et effectu.*

22. *Nec item ex epistola 106.* — Simili modo, in epist. 106, parum ab initio, prius sic inquit: *Si aliquid boni operatur homo, ut gratiam mereatur, non ei merces imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum,* etc. Unde statim concludit: *Si autem credit in eum qui justificat impium, ut deputetur fides ejus ad justitiam, profecto antequam gratia justificetur, id est, justus efficiatur, impius quid est nisi impius?* id est, supplicio dignus. Et nihilominus subdit statim: *Si quis autem dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo vero gratissime confitemur;* et responsionem insinuans, adjungit: *Qui habent fidem, qua impetrent justificationem, per Dei gratiam pervenerunt ad legem justitiæ, quasi dicat illud meritum fidei non repugnare gratuite justificationi, quia fundatur in gratia; et infra eos tantum in hoc puncto errare significat, qui suis meritis præmia, tanquam debita expectant, nec ipsa merita Dei gratiæ tribuunt, sed viribus propriæ voluntatis;* et infra iterum objiciens: *Si ex fide, quomodo gratis?* respondet: *Cum Deus unicuique partiatur mensuram fidei, non gratiam aliquid meriti præcedit humani,* etc. Eandem doctrinam habet epist. 46, ubi merita tantum humana, id est, sine gratiæ auxilio facta damnat, non vero merita piorum: *Quia gratia (inquit) et misericordia Dei convertit hominem, ut justificetur impius, hoc est, ex impio fiat justus, et incipiat habere meritum bonum quod Deus coronabit, cum judicabitur mundus.* Et in eodem sensu in aliis locis solum damnat Pelagium, quod prioribus meritis mere humanis tribueret subsequentiæ gratiæ dona, non vero si tribuantur prioribus meritis de gratia, ut videre licet, l. de Grat. Christi, c. 22, 23; et l. contra duas epist. Pelag., c. 9 et 10; et Præfat. ad Psal. 31; et l. de grat. et lib. arb., c. 6; et l. de Prædest. Sanctor., c. 5, 15 et 21; et lib. 3 Hypognost., c. 6, 7 et 10; et in En-

chir., c. 108; et 107; l. 83 Quæstion., q. 76; lib. de Patient., c. 20; et serm. 13 de Verb. Ap., c. 2, et 13.

13. *Nec ex aliis ejus sententiis.*—Præterea juxta eundem sensum sæpissime repetit Augustinus, sicut Paulus dixit: *Si ex lege justitia, ergo gratis Christus mortuus est*, ita dici posse: Si ex natura justitia, ergo gratis Christus mortuus est; et sicut Paulus dixit: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini*, ita dici posse: Evacuati estis a Christo, qui in natura justificamini, a gratia excidistis. Ita habet lib. de Natur. et grat., cap. 40, et lib. de Grat. et liber. arbitr., c. 13, et de Spirit. et litter., c. 9. Ex quibus non solum apparet, ex doctrina Augustini probari non posse, primam gratiam habitualem non cadere sub meritum ultimæ dispositionis ad illam, verum potius oppositum posse ex mente ejus suaderi; tum quia in citatis locis expresse dicit hominem mereri remissionem peccatorum, nihil de merito distinguens; tum etiam quia, tract. 44 in Joan., de publicano, qui oculos in terram demittens, et peccatus suum percussit, dicebat: *Deus, propitius esto mihi peccatori*, ait: *Et ista confessio meruit justificationem*; tum denique quia tale meritum, etiamsi dicatur esse de condigno, semper erit fundatum in aliqua priori gratia, et hoc satis esse putat Augustinus ut gratiæ non repugnet.

24. *Nihilominus variis in locis stat Augustinus pro assertione.*—His vero non obstantibus, dicendum censeo sententiam Augustini fuisse non dari in homine perfectum justitiæ meritum, donec sit vere justificatus, id est, ex impio justus, et amicus Dei factus; licet ante consummatam justificationem, post illam inchoatam, esse possit in homine aliqua inchoatio meriti, quod nunc meritum de congruo appellamus. Hanc posteriorem partem probant omnia adducta, et de illa inferius in posteriori parte hujus libri, cap. 37, redibit sermo. Prior vero imprimis colligi potest ex citatis epistolis, in quibus ita loquitur, ut sicut fidei tribuit initium salutis, ita tribuat inchoationem meriti, et sic etiam l. 4 Retract., c. 23, approbat quod super epistolam ad Rom. dixerat: *Fides inchoat meritum*, dummodo intelligatur illud meritum esse ex gratia, quod prius negaverat. Nunquam autem Augustinus tribuit fidei per se spectatæ perfectum meritum, sed quamdam ejus inchoationem. Secundo, in dicta epist. 103, parum ante medium, discrimen constituit in-

ter vitam æternam et justitiam, quod vita æterna, licet interdum in Scriptura vocetur gratia, frequenter vocatur merces, et potest vocari stipendium justitiæ; at fides (inquit) vel justitia nunquam appellata est merces, quia justitiæ vel fidei redditur merces, et hoc est merces operanti, quod militanti stipendium. Sic ergo nos argumentari possumus, quia nunquam in Scriptura remissio peccatorum appellatur merces, nec promittitur sanctificatio prima, tanquam stipendium operis, sed merces dicitur esse propria justorum.

25. *Locus alius Augustini ponderatur.*—Tertio, est similis locus in dicto l. de Grat. et liber. arbitr., cap. 6, ubi, cum dixisset per Dei gratiam inchoari bonum meritum in nobis, nihilominus tractans inferius illud Pauli: *Bonum certamen certavi*, etc.: *Ista* (inquit) *merita sua bona commemorat, ut post bona merita consequatur coronam, qui post mala merita consecutus est gratiam*; et infra: *Cui redderet coronam justus judex, si non donasset gratiam misericors pater?* Ubi nomine gratiæ non solam auxiliantem, sed etiam sanctificantem et excludentem peccatum intelligit, ut verba etiam sequentia declarant: *Et quomodo esset ista corona justitiæ, nisi præcessisset gratia quæ justificat impium?* Unde videtur mihi sub nomine gratiæ et justitiæ, quæ ad perfectum meritum supponit, quasi collective comprehendere Augustinum totam præparationem ad gratiam justificantem, includendo illam, et remissionem peccatorum, et ante hanc gratiam completam non inveniri meritum, cui corona justitiæ respondeat, licet inter ea quæ in illa collectione includuntur, inchoatio quædam meriti intercedat. Et ideo comparatione vitæ æternæ illa vocat gratuita, cum subdit: *Quomodo ista* (id est vita æterna, seu corona justitiæ) *tanquam debita redderetur, nisi prius illa gratuita donarentur?* Ubi pondero, quam in singulari gratiam sanctificantem vocaverat, hic in plurali vocare dona gratuita, quia illa gratia collective una est, tamen multa includit, in quibus nullum est meritum, respectu alterius, quod dici possit corona justitiæ, quia non est condignum et justitiæ, licet aliqua inchoatio meriti inter ea possit intercedere.

26. *Ponderantur item aliæ ejus loci.*—Quarto, ad hoc ponderari possunt multa loca, in quibus Augustinus dicere solet meritum justitiæ, id est, perfectum, et de condigno, non præcedere justificandum, sed sequi justi-

ficatum. Nam meritum fidei, vel solius, vel cum aliis dispositionibus necessariis ad infusionem gratiæ sanctificantis, semper est meritum hominis justificandi, id est, existentis in via et quasi in fieri ut justus evadat; ergo, ex sententia Augustini, in illo homine, ut sic operante, nondum est perfectum meritum justitiæ, sed tantum in operibus, quæ consequuntur hominem jam justificatum. Illo autem modo loquitur Augustinus in ea verba Psalm. 110: *Confessio et magnificentia opus ejus*; sic enim inquit: *Justitiam homo non operatur, nisi justificatus*; et infra: *Unde ergo illa confessio?* scilicet, publicani peccatoris; respondet: *Nondum quidem opus justitiæ, sed delicti improbatio. Sed quoquo modo se habeat, nec in ipsa de te, homo, glorieris.* De illa autem confessione dixerat (ut supra notavi), tract. 44 in Joan., per illam meruisse publicanum peccatorum veniam; quid est ergo quod nunc ait, *nondum fuisse opus justitiæ*, nisi quia nondum erat opus perfecti meriti ex justitia, eo quod non esset opus hominis jam justificati, sed tendentis ad justitiam. Et in eodem sensu dixit, l. de fide et operibus, cap. 14: *Sequuntur opera legis justificationem, non antecedunt justificandum.* Et verba similia habet lib. de Spirit. et litter., cap. 29, suntque (ut in superioribus tetigi) cum partitione accommodata intelligenda; nam opera, quæ sunt præparationes ad justitiam, sequuntur ex quadam inchoatione justitiæ, et aliquo modo antecedunt perfectionem ejus; opera autem perfectæ justitiæ sequuntur absolute, et simpliciter justificatum. Et huc etiam pertinet, quod lib. 1 ad Simplic., quæst. 2, in principio, dicit: *Fiant inchoationes quædam fidei conceptionibus similes, non tamen solum concipi, sed etiam nosci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam. Nihil tamen horum sine gratia misericordiæ Dei, quia et opera, si qua sunt bona, consequuntur illam gratiam, non præcedunt.* Illæ ergo operationes, quæ licet auxiliantem gratiam sequantur, sanctificantem, et regenerantem gratiam antecedunt, solum sunt inchoationes quædam, tam justificationis quam meriti, quia, ut in aliis locis citatis dicit, sunt ab Spiritu Sancto movente, nondum tamen inhabitante: et ideo non potest illud meritum esse perfectum, et ex justitia, nec ad vitam æternam sufficiens, donec homo vere justus fiat, et Spiritum Sanctum inhabitantem habeat, quod necesse est fieri sine tali merito, cum ad illud antecedere debeat. Et cum eadem proportionem accipiendum

est quod infra dicit: *Quomodo potest quis juste vivere, qui non fuerit justificatus?* et cætera, quæ ibi prosequitur.

27. *Accedit Prosper, et Patres alii.*—Augustinum imitatus est ubique Prosper, unde in eodem sensu accipiendum est quod ad Gallos, cap. 6, dicit: *Justificatus homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum quo medio acquirit, et meritum, ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, et per industriam liberi augeatur arbitrii.* Unde in epigrammate de Justitia et gratia, sic inquit:

*Justitiæ merces gemina est, vel cum bona rectis,
Vel pravis digne cum mala restituit.
Salvatricem autem cunctorum gratiam Christi,
Non pensans meritum, diruit omne malum.*

Denique alii etiam Patres absolute de merito loquentes illud a justificatione excludunt. Hieronymus, dialog. 2 contra Pelag., versus finem: *Pro nihilo*, inquit, *salvos facies illos, haud dubium, quin justos, qui non proprio merito, sed Dei salvantur clementia.* Sic etiam Gregorius, lib. 18 Moral., cap. 22, alias 24, de gratia Christi interpretatur illud, quod de divina sapientia scriptum est: *Nescit homo pretium ejus*; et ait: *Hujus sapientiæ pretium nescire, est digni operis meritum, quo illam percipiat, non invenire*; et infra, ita concludit: *Homini quippe meritum divina gratia non ut veniat invenit, sed postquam venerit, facit; atque ad indignam mentem veniens Deus dignam sibi exhibet, veniendo, et facit in ea meritum, quod remuneret.* Et lib. 1 Reg., suo c. 4, circa cap. 6 verba: *Si forte revelet manum suam a vobis*, dicit per illa significari difficultatem reconciliationis per poenitentiam: *Quæ profecto reconciliationis difficultas (inquit) si in poenitentium æstimatione tenetur, apud omnipotentem Deum nequaquam invenietur*, etc. Et optime Ambrosius, Roman, 11, circa id: *Si gratia, jam non ex operibus: Manifestum est (inquit) quia gratia donum Dei est, non debita merces operibus, sed gratuita ratione, misericordia interveniente concessa.* Quod infra magis exponens, ait: *Quia veniam dare peccantibus, non aliud quam gratia est his qui non requirunt, sed offertur illis ut credant. Duplex ergo gratia est, et hoc competit Deo, ut quis abundet misericordia, et ut requirat quos gratis curet.* Et videri etiam potest Bernardus, serm. 67, in fine, cum serm. 68 in Cantico.

28. *Ratio.*—Ultimo, probatur ratione assertio, supponendo tanquam certum, quod